

Q. N.
401,
6.

43
II 0
418

UTRUM
NOTABILIS ILLA
LAPIDIS ROSTOCHIENSIS
INSCRIPTIO:
VIVANT GEDANENSES!

NATURÆ ADSCRIBENDA SIT, AN ARTI?
PRÆSIDE

M. GEORGIO WENDIO,

GYMN. THORVNENSIS R. ET PROF. P.

A. D. MARTII A. M DCCIII.

E PHILOSOPHIA EXPERIMENTALI
DIRIMERE TENTABIT

CHRISTOPHORUS *Liswagen* / THORVN.

COLLOQVENDI MATERIEM PRÆBENTIBUS:
TOBIA BOECKELMANNO, SMIGLA. POL.
SAMVELE BECKERO, THORVN.
ANTONIO *Giering* / THORVN.

H. L. Q. S.

THORUNII,
EX OFFICINA NOBILISS. SENATUS ET GYMNASII.



PRÆFATIUNCULA

NOTABILIA IN LAPIDIBUS
LAPIDIS ROSTOCHENSIS

AVVANT GED VENTUS

M. GEORGIO WENDIO

PHILOSOPHIA EXPERIMENTALI

CHRISTOPHORUS WENDIUS

PHILOSOPHIA EXPERIMENTALI
CHRISTOPHORUS WENDIUS

PHILOSOPHIA EXPERIMENTALI
CHRISTOPHORUS WENDIUS



I. N. 7.
PRÆFATIUNCULA.

ITerum de Mineralibus aliquid censendum offero,
B. L. Quemadmodum ante biennium Schediasma
de *figurato Saxo Svecico*; ita hac vice *Lapis ille Rostochiensis*, qui gratum vicinorum GEDANENSIIUM
nomen præ se fert, curiositate sua me ad scribendum
impulit. Pro *Artis* quidem pegmate unà mecum de-
certant, quicumque litteras curiosiori paululum iustra-
runt oculo; quia tamen neque defunt, qui pro *Naturæ*
factu dimicant, & horum argumenta pro virili ponderare,
& mecum facientium desideriis scribendo assurgere pul-
chrum duxi. Tu, si curiosa talia æstimas, Benevole
Lector, benigne, quæso, hanc opellam consulito: Si
meliora præoptas, ipse promito. Vale.

ARTICULUS I.

Descriptionem Lapidis præmittens.

Lapis noster, quem per manum Viri summe Reverendi, Dn. D. Samuelis
Schelwigii, Theologi celeberrimi, Fautoris & Conterranei mei multo
honoratissimi, Plur. Reverendus Dn. Johannes Falcken/ Gedanensis
Ecclesiæ ad D. Catharinæ Pastor meritissimus, &c. roganti mihi spectan-
dum transmisit, Anno 1701. pone Rostochium in S. Aggere forte fortuna
inventus, & postea à Magnifico Dn. Johanne Nicolao Qvistorpio, Dôctore
Theologo Rostochiensis, prælaudato Dn. Falckenio, ceu infra uberius
constabit, assignatus fuit. Colore, qui subfuscus est; duritie, quæ com-
pacta fatis; pondere, quod 2. Lotonibus respondet, à communi silice
parum aut nihil differt: Figuram tamen & litteras si respicias, dixeris,
utramque curioso dignam esse aspectu. Cordis scilicet typum tam grate

A

exhi-

exhibet, ut propterea etiam *καρδία λ. ϑ* nuncupari mereatur. Eminen-
tiores ejus litteræ, Calligraphico fatis, & superioris Seculi artem loquente,
ductu delineatæ, Nobil. Gedanensibus fausta quævis apprecantur his
verbis: VIVANT GEDANENSES.

ARTICULUS II.

Similia litterata Phœnomena recensens, & simul amoliens.

I. E Regno Naturæ Vegetabili.

§. I. **Q**ui Naturam à *Litteris* adeo non abhorreere putant, ad Histo-
riam naturalem provocant, ubi se aliquot, licet rariora, *litteratarum*, sive *Plantarum*, sive *Animantium* exempla obser-
vasse memorant. Idque non minus appertinenter, quam vere. *Planta-*
rum quippe Regnum, si accuratius paulò inspicatur, suggerit utique, in
admirationem quod rapiamus. Esto; ænigma illud Virgilianum
(*Ecloga III.*)

*Dic, quibus in terris inscripti Nomina Regum
Nascantur flores, &c.*

non de hyacintho flore, Ajacis Telamonii (ut est ap. Ovidium lib. X. *Me-*
tamorph. fab. 6. p. 401. seq.) *litteras initiales* aj mentiente, sed cum
Jo. Lud. de la Cerda (in *Notis Virgilianis* p. 67.) de Augusti Cæsaris
nummo, à L. Aquilio Floro III. Viro procurato, intelligendum esse :
Ligna certe litterata, fidem dictis faciunt. *Hafnia in Museo Regio* prostat
truncus, palma latitudine crassus, qui cuneo discussus in interna facie sequentia
Danica ostendit verba, latinis litteris expressa: JENS HAMERS HOLT
ERRIT KONGENS ARBEDT FOR EN TIFE. h. e. *Jens*
Hamers Høltz ist von des Königs Arbeit vor einen Dieb. *Ephemer.*
Germ. Ann. 2. Observ. 55. p. 113. Et *Oliger Jacobæus* in *Museo Reg.*
Dan. part. 1. Sect. 6. testatur, alii cuidam arbori, cum in *sylva Helsingo-*
rensi funderetur, incisas interne fuisse has *litteras N. D.* Memoratu quoq;
non indignum est, quod *Cl. D. Reifelius* Anno 6. *Ephemer. Germ. Observ.*
4. de duobus *Lignis faginis* recenset, ita scribens p. 9. *In divisionis late-*
ribus Inscriptio per lineas quinque sibi suppositas, latinis litteris pollices sive
411-

uncias duas longis, verum fisione mutilatis, germanâ lingvâ, imperita manu facta est, quarum prima signata litteris NES pronomine JohāNES integram vocem conjectura secum fert; secunda CAS finis est Cognominis, nescio cujus; tertia DEM articulum idv notat; quarta TEN syllaba ultima dicit sive primum est = TEN, s. tertium dicit = TEN, s. alium similiter terminantem, numerum supponit; quinta denique IS, & restaurata tota voce April-IS mensis nomen desinit, quod hoc tempore plerumque ludant in cortice succulento Satyri & Fauni; idiota autem, qualis est hac Scriptura, reliquorum mensum hybernorum casum, scilicet casum genitivum in IS desinentem, non facili formare sciunt. Et pag. 11. Cl. Dn. D. Wizelius Francofurti in litterato Ligno sagino ostendit mihi binas litteras ^W _S, quae confirmant &c. Quod demum & Americæ illud Lignum, quod prope fluvium Cajanum cæditur, Litterati cognomen retulerit, inde factum est, quod notulis quibusdam, litterarum vestigia haud obscure referentibus, alicubi luderet. Belgis vocatur Sæterhout. Ol. Worm. in Museo lib. 2. c. 17. p. 171.

2. E Regno Animali.

§. II. 1.) Anno Orbis Redempti 1511. Ravennæ natum est monstrum, cornutum & alatum, quod brachia nulla, pedem unum, ut avis rapax, oculum in genu, & sexum utrumque, in medio autem pectore Ipsilon & crucis effigiem prodigiose ostentabat. Wolf. Lect. Memorabil. cent. XVI. p. 31. 2.) Anno 1587. d. 21. Nov. in mari Norwagico & Danico capti sunt duo haleces, qui litteris suis & Gaffarellum, & Raphaëlem Eglinum commoverunt, ut prior quidem in Curiositatibus suis miros eorundem characteres, posterior Prophetiam Halieuticam, germanice, Neue Meerwunderliche Prophecey/ Anno 1598. exprimeret. Alteri nimirum piscium inscripti erant characteres: VICI &c. unde Eglinus mysteria, nescio, quæ, Chronologica de Ecclesiæ statu elicere voluit. Vid. G. Michaëlis Notæ in Gaffarel. p. 19. seqq. It. Ananiæ Jeraueurii peculiaris Descriptio, in gratiam Regis Daniæ, Friderici, adornata. 3.) Gryphiswaldia Pomeraniæ Anno 1588. mense majo dedit piscem, Xiphiam, quem itidem litteris s. figuris, videl. crucibus, gladiis, vexillis, ligonibus, pagionibus, eorum capitibus, navigiis in belli signum insignitum fuisse tradit Thuanus lib. XC. Hist. p. 176. 4.) De pisce mire monstroso anno superioris

perioris Seculi XXIII. 8. die Sept. in Polonia prope Warfaviam in Vistula flumine intercepto Stengelius cap. 1. de monstris inter alia sic refert: atque ne naturam existimes illiteratam, uni vexillo (è piscis vasto corpore prominenti) litteræ A. D. I. H. alteri F. R. F. inscripta legebantur, interpretatione spectatoribus relicta &c. §.) Autore quoque Johanne Nimmelin Anno 1609. Nissæ Silesiorum captus est Piscis, Litteris M. T. L. R. E. & signis ♪ ☉ ♂ Cæsarem Rudolphum, (cui ejus cuticula transmissa fuerat) mire reficiens. Vid. Tr. Anno 1619. Augustæ ab eodem editus. 6.) In Olai quoque Wormii Museo lib. 3. c. 8. p. 259. commendantur Turbines musicales, per quorum circumferentiam discurrunt 5. lineæ atroluteæ, hinc inde notis quibusdam ejusdem coloris per lineas & earum intermedia spatia dotatæ, non absimilibus iis, quibus soni musicales olim exprimebantur &c.

§. III. Quemadmodum autem haud vane suspicor, surrecturum esse unum & alterum, qui ex allegatis documentis Lapidis quoque Rostochiensis originem naturalem divinare satagat; ita in limine statim respondeo: I. A Regno vegetabili ac animali ad Regnum Mineralium non valere Consequentiam. Multa in hoc accidunt, quæ non item in illis, & vice versa. Quodlibet Regnum suam habet ideam, quam, nisi Archæus præter spem aliter voluerit, ordinariè retinet. II. In lignis litteratis nullum natura, sed artu, inveniri vestigium. Supra laudatus Oliger Jacobæus l. c. de Trunco Danico statuit, Cortici Arboris, adhuc crescentis, exteriori incisæ initio fuisse litteras, cumq; dein libro Arboris interiori sensim cortex opponeretur exterior, hinc novis sensim superinductis corticibus in parte Arboris interna conspici litteras. Conf. Cl. Reiselius l. c. p. 12. seqq. ubi uberius causam evolvit. III. A monstris & monstris ad regularem naturam fetum non valere Consequentiam. Pisces allegati sunt Naturæ errantis ludibria, à quibus proinde neque ad alios pisces aut animalia, nedum ad Lapidum figurationem, argumentari conveniens est.

ARTICULUS III.

Expendens argumenta pro Naturæ Operatione adducta.

§. I. **Q**ui pro Natura fetu Phænomenon istud venditant, argumenta, vel potius conjecturas, conquirunt varias; 1.) in genere, illud Kircheri, quod Tom. II. Mundi Subterr. lib. 8. Sect. I. fol.

fol. 41. extat, pro se citantes: *Natura in gemmato Regno colorum finxit tentoria, quæ & Sole, Luna, Sielüs, miro ordine vestivit. deinde ad Opticam progressa, flumina, sylvas, prata, montes, maria, ad exactam Perspectivam amussim in multis Lapidibus ita depinxit, ut nullius Optici manum, ultra suam industriam, desiderare voluisse videatur. &c.* 2.) alii, propius ad scopum collineantes, partim ad ejusdem Kircheri *Alphabetum naturale*, è Tolfensibus fodinis collectum; partim ad *feralem Crucis Christi inscriptionem*, litteras I. N. R. I. expresse præ se ferentem; tandem & ad Nomen CHRISTI in Achate Cæsareo observatum, (Ephemer. Germ. Ann. I. Observ. 112. p. 263.) confugiunt, inquirentes: si natura habet litterarum ductus, quare non & verba ex iisdem composita? si natura ipsum Christi Nomen, & Crucis titulum formavit, quare non & alias voces, adeoque & integras sententias? 3.) Qui deinde aggeris laudati conditionem perspectam habent, referunt, pastillos orbiculares, panis bis cocti figuram quodammodo adumbrantes; Brontias item, regulari quinquangulo circumcirca superbientes; Lapidem porro, Priapi Schema non ineptè mentientes, aliaque naturæ curiosa, ibidem colligi, & propterea non infulse fortean statui, etiam Votum nostrum suos ibidem à *Natura* accepisse naturales. Facilius omninò esse, *litteras* aliquas, quàm regulare *Pentagonum*, pingere. 4.) Ultimi non ultimum in Magnifico Dn. Joh. Nic. Qvistorpii, Doctoris Theologi & Pastoris ac Superintendentis Rostochiensis, anno superiori a. d. 28. Junii ad Pl. Reverendum Dn. Johannem Falcken / Gedani ad D. Catharinæ Pastorem optime meritum, datis litteris quæruni præsidium, è quibus sequentia excerpta visum fuit. *Sicher wahr ist es / daß dieser Stein am H. Damm unter andern Steinen gefunden worden / wie ich ihn denn von demjenigen / so ihn daseibst gefunden / selber erhalten habe.* Sensus affirmantium est; inveniendum pariter & transmittentem esse bonæ fidei viros. Propterea exulare omnem dolosæ Artis suspicionem.

§. II. Quamvis vero equidem neque miram Naturæ potentiam, neque benignum de GEDANENSIBUS bene sentiendi studium, in dubium vocitem, multò minus improbem, dicere tamen, *Voti Saxei litteras naturæ stylo delineatas fuisse*, res dictu incredibilis est. Undenam enim illud, quod, cum Natura ad omnes *Lingvas* indifferenter se habeat, communiter tamen ea *latinis* litteris scripsisse credatur? Ostendat mihi aliquis simile in *Orientali* vel alio Idiome formatum Scriptum, & tum consultabimus,

Litteratane, an fecus, indigitanda sit eadem. Undenam porro particularissimus ille juxtim & salutarissimus erga Gedanensium Civitatem affectus, qui nec olim in Judæa, (terra curiosorum lapillorum, e. g. Pisolithi, Lapidis Judaici, mamilliformis, &c. ferocissima,) Bethlehemitis, Nazarenis aut Hierosolymitanis (in qua tamen Salvator natus, educatus, & crucifixus est) contigit? Quoniam ex adverso fato denegatum *Rostochiensibus*, quod ipsorum Territorio, tanquam mineræ parenti, potiori jure deberi videbatur? Sanè tantum abest, ut Ego, qui hæc scribo, faustas Acclamations alicui invidere præsumam, ut potius de benigno Cæli afflatu tacite cuivis gratuler, ac plura insuper fata benignissima à Natura naturante animitus apreter; quod tamen de gemmea pluvia Balbinus lib. 1. Miscell. Hist. Bohem. c. 50. p. 118. idem Ego de præsentis Oculiferio sentio, *superstitioni* nimirum *proximum videri, velle, re non contestata prius & explorata, credulum se præbere.* Quocirca nemo sinistrum quid de me suspicetur, cum argumentis §. 1. consarcinatis assensum à me denegari animadverterit. VOTI dati *argumentum ratum & gratum, Origo suspecta est.*

§ III. Quod jam conjecturam primam concernit, eam *generalem* nimis, & propterea invalidam esse, nemo non observat. Ut enim nihil dicam, quòd à *gemmato* Regno ad lapides *vulgares*, qualis hic noster est, indiscriminatim argumentari periculosum sit; *figura certè à figuris discernenda veniunt.* Nemo negaverit, lucos, prata, animalia, flumina, flores, arbores, aliaque à ludente natura referri Schemata. Id namque ante Kircherum jampridem alii, & olim quidem Plinius, lib. 37. Hist. Nat. c. 10. p. 657. sua vero ætate Cardanus annotavit, ac lib. VII. Subtil. p. 352. grate recensuit. An vero eadem & *figurarum ab arte provenientium*, adeoque & *Inscriptionis nostræ*, genitrix appellanda sit, Naturalistæ ipsi viderint. Natura, si quid mihi creditis, sui generis, h. e. *naturalium*, (rotundæ vel angularis) idearum amantissima, *variores* omninò, certe *anomalous* subinde, eodemque in nobiliori ut plurimum minera, iconismos ab arte mutuare; aut saltim svavi (in petrefactione) cum eadem conjugio maritata, tales exhibere assolet. Optime Cardanus l. c. p. 358. *Duo sunt Figurarum & imaginum genera in Regno Mineralium, alterum, quod semper in iisdem lapidibus apparet, & hoc à natura provenit; alterum, quod non semper, sed raro in iisdem lapidibus invenitur, & hoc Casu seu fortuito, sicut ea, quæ in nubibus generantur, contingit.* Et du

du Hamel. l. 2. de Fossil. c. 6. p. 425. *Multum hic (in lapidum figuris formandis) fortunæ & casui licet. nam materies lapidum exsiccata, sponte sua finditur in varias partes; ferme uti paludosa terra, ubi Solis appulsu exarsit, ultro fatiscit, & variis linearum ductibus diversas quoque delineat figuras, quarum rationes si curiosius investiges, nihil agas.*

§ IV. Ad secundum argumentum regero, per allegata Exempla nihil nobis præjudicari. 1.) A posse ad esse N. V. C. Non sequitur: Natura potest exprimere Verba; E. expressit. Parum quoque abest, quin ipsam potentiam in dubium rapiam. Ad hoc enim, ut genuinus exprimatursensus, *Rationis* usus requiritur, qui, an Naturæ Mineralisanti vindicari queat, Physiologis perpendendum relinquo. 2.) A litteris & quidem *disjunctis*, ad *conjunctas*, s. integras voces, itidem dubia est Consequentia. Kircheri Alphabetum totidem *distinctis* constat particulis, quot gaudet litterulis. 3.) Inscriptio CHRISTI feralis, quæ itidem solitarius modo offert apices, ipso Kirchero judice (Tom. 2. Mundi Subterr. l. 8. Sect. 1. fol. 41.) Casu aliquando amissa, & postmodum successu temporis in lapideam conversa fuit substantiam. Ergo nihil ad rhombum. Quæstio nostra de *naturali*, non per naturam *petrefacto*, agit Cimelio. 4.) An vero à singularissimo CHRISTI exemplo ad aliorum quoque hominum & nominum formationem in natura exemplificare conveniens sit, Benevolus Lector vel me tacente satis superque intelligit. Revera! quicquid natura Creatori suo sacravit, id Creaturis appropriare vix ac ne vix quidem audet. Quod itaque ante biennium in Examine Lapidis Svecici, Observ. IV. ab ipsa Experientia edoctus affirmavi, idem datâ hac occasione nunc repeto, *Litterarum*, inquires, & *Nominum figura in Regno Mineralium perquam rarissime observantur.*

§ V. Quantum insuper tertiæ Conjecturæ tribuere conveniat, itidem in propatulo est. 1.) Possum quidem colligere: Multa Curiosa *Natura* Phænomena deprehensa fuerunt in Aggere Rostochiensis. Ergo fortè & aliæ quædam *Natura* s. species, s. individua curiosa, (*sed indeterminate*) profitant ibidem, attamen non possum reciproce argumentari: Hic vel iste lapis curiosus deprehensus est dicto loco. E. statim *Natura* est phænomenon. Heic enim reclamat Logica patiter & Experientia. Illa; quando docet, Propositionem universalem affirmantem non converti simpliciter; Hæc; quando observavit, etiam alias ibidem redinventas fuisse mineras, quæ sive casu, sive de consilio, consepultæ fuerant antea.

Ecce

Ecce instantiam! Non ita pridem in littore maris Balthici, & quidem
 haud procul à fortalio Gedanensi, Weichselmünda, redinventa forte
 fortuna, & fato quodam ad me delata est *Jaspis* perquam *polita*, quam
 circulo aliquando inclusam, ac de collo suspensam, sed casu inde elapsam
 ac deperditam fuisse, indicia testantur non una. An verò propterea à
Natura ibidem lævigatam aptatamquè fuisse asseremus? Certe! Kircherus
 ex universa propemodum Europa, & undecunquè saltem naturæ pi-
 cticis Emblemata comportare licuit, innumeras fermè lapidum curiosorum
 impressiones coacervari paravit, eò tamen felicitatis pertingere nunquam
 potuit, ut vel unicam, *integra Sententia verè insignitam*, impetraret *Miner-*
am. Quanam ergò fronte id unico asseremus Aggeri, quod vel univer-
 sis Europæ Provinciis denegatum fuit hæcenus? Habeto etiam meum,
 at quaecunquè! Exemplum. Per ipsum septennium hæc Thorunii natu-
 ræ miranda non una, e. g. Aetiten, Geoden, Ostraciten, Conchiten,
 lapidem Megaricum, Ombriam, Belemniten, Ammoniten, Trochiten,
 Dendriten &c. (cum forte animi relaxandi gratia exspatiarer,) juxta
 Vistulæ profluentem colligere datum mihi fuit; quantamcunquè vero
 sive curam, sive operam, impenderim, tot tamen *litteras*, quot quidem
 ad nomen THORUNII exprimendum sufficiebant, (exceptis vocalibus
 I. O. & V.) colligere nondum licuit. Quodsi ergo in loco, ubi natura
 tot figuratis mineris luxuriari propemodum assolet, Elementorum (*litte-*
rarum, inquam, unde voces combinantur,) farrago nulla, aut perquam
 exigua suppeditatur, absit, loco, in quo rarior talium phænomenorum
 seges, *elementata naturalia*, s. *voces* aut *sententiam* integram, assertum ire.
 2.) Deinde quod *speciatim* figuras, in citato Aggere quandoquè colle-
 ctas, attinet, eas, si Priapum exceperis, nihil rari in se habere, extra
 dubium est. Certe lapides, quos Brontias s. Ombrias vocamus, neque
 Olsnensis Ducatus, neque Montes Gigantei in patria mea Silesia, neque
 Vistulæ, Thorunium alluentis, littora, neque alia quædam loca, mihi
 denegarunt. Propterea ignoscent mihi Naturæ Patroni, quod sententiæ
 ipsorum non subscribam. Inaudita res in Regno Minerali, qualis est,
Orationem integram in tergo lapideo descriptam exhibere, per commu-
 niores ejuscemodi figuras ne divinari quidem, nedum confirmari, potest.

§. VI. Testimonium ultimo loco adductum evidens est, & firma
 auctoritate nititur, sed nihil aliud probat, quàm bona fide hic agi &
 nulla sui parte immutatum ab inventore fuisse lapidem. An vero idem

in & ab eadem terra figuratus fuerit, in qua hospitium suum per aliquod temporis intervallum fortitus est, hoc exinde non liquet. Contrarium potius ex ejusdem Magnifici Dn. D. Qvistorpii litteris non parum elucet, quando inter alia prudenter ita scribit: Daß die spielende Natur solche Inscription selbst solte in den Stein gepreget oder ausgetrieben haben / kan ich mich kaum bereden zu glauben. Sicher wahrh. Hätte jemand die Schrift auf selbigen Stein ausgearbeitet / müste es doch ein grosser Liebhaber von den Liebhewrten Heren Danzigern gewesen seyn. Quo- circa progrediamur tandem ad

ARTICULUM IV. & ultimum,

In quo probabilis pro ARTE sententia affertur.


§. I. **R**ectius omninò sentiunt, qui unà mecum ARTI scribaci has litteras deberi autumant. Enimvero per ARTEM in Mineralibus formari posse, & formatas quoque fuisse, imagines, Albertus M. lib. 2. de rebus Metall. c. 2. p. 118. disertè satis docuit, ita scribens: Non latet, aliquando per Artem fieri imagines duobus modis, unus quorum est, in quo operatur Ars & Natura, & illa quidem, vel qualis Ars, effingit figuras & materia colores, & postea totum ponitur in aqua, in qua fortis est vis mineralis lapidificativa, & ex illa coagulatur in lapidem, sicut diximus supra. Secundus &c. Et Cardanus lib. 7. de Subril. p. 353. seq. ridiculum putat, Pyrrhi R. Achatem casu aded ad amullum ornatum ac distinctum fuisse. Ipsius judicio res sic contigit: Pictor validis coloribus lapidem aliquem è marmorum genere pinxit, &c. Novissimè quoque Vir Nobiliss. Dn. Georg. Conrad. ab Horn, Med. D. & Phys. Provinc. Lüneburg. in Notis Litter. Lubec. A. 1701. M. Augusto p. 254. seq. peculiarissimum planè silicibus varias imprimendi figuras artificium recensuit. Helmstadii nempe Pedellus fuit, qui praesentibus Academia Senioribus, silicem durissimum liqore sibi soli noto ita emollivit, ut figuras varias, velut in cera quadam, pro lubitu imprimeret; inclusis dein sapissime nummulis, lapidi pristinam duritiem restituit. Quare igitur simile quid de nostris praesumere noluerimus litteris?

§. II. At vero eò ut confugiamus, opus nondum est. Artis eas effectum esse, testatur 1.) litterarum, in recta linea currentium aequalitas, 2.) justa distantia, 3.) secundum Legem formati ductus, 4.) quod lapidi non incisa sint, sed promineant, 5.) tot naturæ Secretarii, qui unà mecum lapidis ideam probè contemplati sunt. Verbo: Litteræ nostræ

2/110 418 X 2592137
votivæ ab *aquis Strygiis* habent, quicquid habent. Quem excavandi lapidis modum Boëtius de Boot lib. 1. Hist. Gemm. c. 23. p. 75. Litterarum talium Magistris commendatum ivit, eundem *apprime* in nostro observatum fuisse, vel ex imitatione mea patet. Ut ne enim dubii aliquid maneret reliquum, equidem in simillimi Silicis facie averfa periculum feci, utrum is (cum alioquin non omnes eidem recipiendæ sint pares,) similem quoque admittat Inscriptionem, & quod tentavi, feliciter effectum dedi. Pro *Consule* jam facit tale *Votum*: VIVAT CONSUL! Quicquid ex adverso *Natura* in Achate Leopoldino pinxisse creditur, aliquantulum discrepat. Æ. S. & unum *X.* ita comparent distracta, ut vix pro talibus agnosci queant. NB. Kircheri quoque Alphabetum, cujus supra facta est mentio, tam est rude, asperum atque à regula alienum, ut credas, hæc litteras à Tyrone, nostras à Magistro, scriptas fuisse.

§. III. *Inquis*: Quonam autem pacto in *Aggere* reperiri potuit, quod in Museo ortum suum traxit? Hujus generis *τεχνήματα* in Scriniis reservari, atque à Saburræ marinæ commercio defendi solere. Æ. Etiam lapides sua habent fata. Annulus ille, quo *Ulricus, Frisiæ Comes, A. Chr. 1460.* loco Sigilli utebatur, fato, (incertum quonam,) deperditus, per duo Secula intra Terræ cavernas delituit, & nihilominus A. C. 1666. in agro *Grotelander* forte fortuna à Colono quodam redinventus, suæque familiæ restitutus est. Pace aliorum ita conjicio: Studiosus quidam *Gedanensis*, cui in Academia Rostochiensis studiorum gratia commorari aliquando visum fuit, lapidem isthunc triangularem, antea corrosivi liquoris beneficio maceratum probe & præparatum, s. casu, cum forte in dicto *Aggere* exspatiaretur, amisit, s. etiam studid, ut aliquando ab ignaris *pro Natura lusu* haberetur, deposuit, & quasi consepelivit. Nam talium Academicorum adultus mos est, iis benè precari, quibus benè cupiunt, & exclamare: VIVANT hi! pereant illi! Et qui *Patavii*, alibi que locorum in Italia, nummariam exercent commercium, non raro simili dolo *denarios*, ad exemplar Romanorum accurate fictos prius factosque aliquandiu sub terra condunt, ut postmodum fato quasi quodam inde rursum eruti, pro genuinis seu originalibus, quos vocant, habeantur æstimenturque.

§. IV. Quicquid igitur sit de *materia* *Voti*, quam *Gedanensium* Clientibus pro lubitu repetendam relinquo: Equidem *Mineras* ad *Complementa* talia, æquè ac *Plantas* ad saltum, & *bruta animantia* ad vocem humanam edendam, apta esse judico. Ubi *A* non præcedit, ibi *B. & C.* Locum non inveniunt.



R.K.
701,
6

43
II o
418

UTRUM
NOTABILIS ILLA
LAPIDIS ROSTOCHIENSIS
INSCRIPTIO:
VIVANT GEDANENSES!

NATURÆ ADSCRIBENDA SIT, AN ARTI?
PRÆSIDE

M. GEORGIO WENDIO,

GYMN. THORVNENSIS R. ET PROF. P.

A. D. MARTII A. M DCCIII.

E PHILOSOPHIA EXPERIMENTALI

DIRIMERE TENTABIT

CHRISTOPHORUS *Lispwagen* / THORVN.

COLLOQVENDI MATERIEM PRÆBENTIBUS:

TOBIA BOECKELMANNO, SMIGLA. POL.

SAMVELE BECKERO, THORVN.

ANTONIO *Giering* / THORVN.

H. L. Q. S.

THORUNII,

EX OFFICINA NOBILISS. SENATUS ET GYMNASII.

